

Belgica Benedictina,

sive elenchus omnium monasteriorum Ordinis S. P. Benedicti, utriusque sexus, quae unquam in territorio hodiernae Belgicae exstiterunt, pro Provinciis ut nunc temporis dividuntur, distributa.

(Ex praecipuis auctoribus et archivis publicis collegit R. P. D. Gerardus Van Caloen monachus monasterii S. P. Benedicti de Maredsous.)

I. In Provincia Brabantiae.

1. Nivialense (Nivelles) S. Mariae et Ss. Ap. Petri et Pauli. — Abb. Virginum. A. D. 640 B. Itta vidua Pipini Landiniensis et S. Gertrudis eius filia a S. Amando Epo. velum acceperunt et construi in suo allodio Nivialensi monasterium iusserunt. Quod cum 647 perfectum esset S. Gertrudis 21 annos nata eius regimen suscepit. Iam ab initio iuxta illud virginum coenobium exstabat alterum monachorum cui primus Abbas praefuit Subinus. Decursu temporis canonici et canonissae introducti sunt.

2. Meldariense (Meldert) S. Ermelindis — Abb. Virginum. Medio saeculo VII. Pipinus Landiniensis condidit in honorem St. Ermelindis, quae eo loco vitam eremiticam duxerat, monasterium hoc, postquam ab angelis sacrum illius corpus demonstratum fuisset. Idem Pipinus condidit coenobium necnon alterum monachorum quod in proximo monte situm erat; multis autem iam saeculis, eversa et deleta procul dubio a Normannis, haec monasteria evanuerunt.

3. Orpiense (Orp) S. Martini. — Abb. Virginum. Saec. VII. Alpais comitissa ad expiendam nefariam quam S. Lamberto intulerat necem istud monasterium condidit, in quo et ipsa velo accepto poenitentiae incumbens degit. Adilia abbatissa mira fulgens sanctitate in ea ecclesia adhuc colitur. Monasterium Normannorum vastationibus deletum est.

4. Affligeniense (Afflighem) Ss. Petri et Pauli. — Abb. Monachorum. A. D. 1083 sex latrones Gerardus dictus Niger, Cohelinus, Hargerius, Wolbodo, Gilulfus et Tibaldus quos Wedericus monachus Gandavensis S. Petri ad vitam religiosam perduxerat suadente S. Annone Epo. Coloniensi, in solitudinem Affligeniensem ut poenitentiam agerent se contulerunt. Quos dum Gerardus II. Eps. Cameracensis et Henricus III. Brabantiae dux benevoli fovent et bonis cumulant, duo mox sese illis adiungunt monachi venerabiles ex Abbatia S. Viti Verdunensi, ab Henrico III. Imperatore in exilium eiecti. Abbatem sibi eligunt Fulgentium, qui tanta sapientia tantoque fructu novo praeest coetui, ut brevi tempore inter alia Belgii coenobia emineat Affligeniense, insignisque evadat schola dominici servitii iuxta disciplinam et statuta

congregationis Cluniacensis. Quin et fluenta regulae derivavit fundatis monasteriis Forestensi, Fraxinensi, Brugensi, S. Andreae, Lacensi ad Rhenum, Bornhemensi. Fulgentii sanctitatem et religionis propagandi zelum aemulatus Franco qui successit, et ipse fundavit monasteria quorum nomina sunt Fliderbeca, Bigardus maior et Wavria. S. Bernardum cūm an. 1148 Affligeniense monasterium inviseret, B. Maria V. apparens allocuta est: „Salve Bernarde!“ An. 1560 unita est haec abbatia mensae novi archiepiscopatus Mechliniensis et ab hoc tempore archiepiscopi Mechlinienses fuerunt simul abbates Affligenienses; monasterium regebatur a prioribus claustralibus inter quos sanctitate et eruditione emicuit Benedictus Haeftenus (1616—48). Dein sub perturbatione Gallica dispersi quidem monachi sed non extincti Teneramundum convenerunt unde et Affligeniense perantiquum coenobium decem abhinc annis restaurari feliciter coeptum est quod ut Deus ad prosperum perducatur eventum precamur.

5. Forestense (Forest) S. Alenae. — Abb. Virg. — A. D. 1096 eques Gilbertus filius Balduini comitis Alostensis Hierosolymam profecturus Odam matrem et Ludgardem sororem commisit Fulgentio Abbati Affligeniensi, rogans ut eis monasterium aedificaret in vico Merchten prope Alostum, ubi sanctitatis operibus incumbentes militibus Christi prosperum iter et reditum implorarent. At Fulgentius aptiorem locum nactus in fundo Forestensi sacras aedes excitavit supra tumulum sanctae Alenae Virginis quae saeculo VII. martyr in Domino obiit. Prima priorissa Berthildis disciplinam Marchienensem introduxit. Anno 1229 Forestum in Abbatiam evectum Affligeniensium auctoritate exemptum est.

6. Cortenbergense (Cortenbergh) B. M. V. et S. Amandi. — Abb. Virg. Incerta sunt huius domus primordia; Columba pia quaedam matrona monasticam ibi vitam inaugurasse dicitur. Licet eius mentio fiat sub anno 1105, Forestensem tamen foundationem antiquitate praecedere videtur.

7. Vlierbacense (Vlierbeeck) S. Petri. — Abb. Monachorum. Anno 1125 Godofridus Barbatus Brabantiae Dux, ut suae ipsius et suorum saluti provideret, hoc monasterium condidit et Franconi Abbati Affligeniensi tradidit. Fuit huius coenobii Prioratus usque ad annum 1178, quo ad dignitatem abbatialem evectum est ex conditione ut omnes abbates eligerentur ex conventu Affligeniensi. Interiit extremo saeculo elapso.

8. Capellense (N. D. de la Chapelle à Bruxelles) B. M. V. — Praepositura monachorum. Circa an. 1130 idem Godefridus Barbatus Ecclesiam B. M. Capellensis Bruxellis sitam, tradidit abbatiae S. Sę-

pulchri Cameracensi, ex quo tempore ibi erat Praepositura seu Prioratus eiusdem abbatiae.

9. Bigardense maius (Grand Bigard) S. Petri. — Abb. Virginum. Huius monasterii origo a sancta Dei famula Wivina, nobili virgine ducitur. Quae in ea solitudine cum ab anno 1126 una cum Enteware ancilla sua, vel potius sorore, pie ac religiose viverent multas undique discipulas vidit confluentes. Quare Wivina a Godefrido Barbato istum locum petiit, ut monasterium ibi fundaret. Anno 1133 Godefridus donationem factam litteris confirmavit et novum coenobium Abbati Affligeniensi Franconi eiusque successoribus subiecit. In locum Priorissae primae S. Wivinae 17. Dec. 1170 defunctae, successit Enteware. Anno 1242 eximitur Bigardense Monasterium a iurisdictione Affligeniensi et immediate subditur archiepiscopis Cameracensibus. Anno vero 1543 erigitur in Abbatiam. Corpus S. Wivinae miraculis clarum nunc Bruxellis colitur in Ecclesia B. M. de Sablone.

10. Wavriense (Basse Wavre) B. M. V. — Prioratus monachorum. Haec ecclesia in bonis, quae Henricus III. Brabantiae Dux 1096 novo monasterio Affligeniensi condendo donaverat, comprehensa erat. Prioratum vero ab Affligeniensibus ibi anno 1134 erectum esse, verisimile est. Hic colitur venerabilis Imago B. M. V. quam coelitus ferunt allatam esse; necnon arca eiusdem, quae cum anno 1152 in urbe Bruxellensi circumferretur, peste grassante, multa miracula evenerunt.

11. Bierbacense (Bierbeeck) S. Hilarii. — Prioratus monachorum. Capitulum Canonicorum, quod antiquitus hic fuit, anno 1189, auctoritate P. M. Gregorii VIII., Henrici I. Ducis Brabantiae, et Episcopi Leodiensis, suppressum est, efflagitante id quodam milite Bierbacensi, cui Iwanus nomen, qui ibi divi Benedicti alumnos ex abbacia S. Nicasii Remensis accersitos instituit. Anno 1234 Henricus II. quum in monasterium beneficia quaedam contulisset, postulavit ut abbatali illud auferetur honore, nec tamen voti compos factus est. Tandem 1562 quia monachorum numerus valde comminutus erat, Pius IV. Prioratum extinxit, eius bona facultati s. Theologiae Lovaniensis universitatis addixit.

12. Bigardense minus (Petit Bigard) B. M. V. — Prioratus Virginum. Initio monasterium ab equite quodam Ioanne a Monte exstructum est in monte S. Mariae, cui nomen erat Varenberg, et postea propter aquarum penuriam anno 1234 translatum est in locum qui dicitur Obbigarden, ditatum a Godefredo a Lovanio, Henrici II. fratre. Moniales Cistercienses, licet professae institutum, cum a Capitulo eiusdem Generali repulsae essent, nigram S. Benedicti vestem assumentes 1254 Apostolico approbante Legato sese Ordini Benedictino aggregaverunt.

13. Bruxellense. (Bruxelles.)—Prioratus Virginum. Anno 1599. Moniales Ordinis Sti. Benedicti patria Anglia expulsae Bruxellam se congregaverunt ibique, adiuvantibus munifice Alberto et Isabella Archiducibus monasterium condiderunt, quod eodem anno P. Clemens VIII. canonicè erexit. Anglicas tantum Virgines sibi sociantes, tandem saeculo praeterito in Angliam redierunt et Abbatiam de East-Bergholt fundaverunt quod ad nostra usque tempora floret.

II. In Provincia Antuerpiensi.

14. Quercolodorensis (Deurne) S. Fredegandi. — Abb. Monachorum. Saeculo VII. S. Amandus hoc monasterium condidit, quo fides ibi recens plantata, et firmaretur et propagaretur. Cui monasterio primus creditur praefuisse S. Fredegandus, monachus Hibernus, socius SS. Foilani, Fursei et aliorum. Eius corpus circa annum 882, Normannis hoc coenobium funditus devastantibus, translatum est Monasterium (Moustier) prope Namurcum, ubi mansit.

15. Mechliniense (Malines) S. Stephani. — Abb. Monachorum. Circa an. 755 coenobium hoc a S. Rumoldo, monacho Hiberno, qui Romae in Episcopum regionarium consecratus erat, constructum est in honorem S. Stephani Protomartyris. Anno 775 die 24. Iunii Rumoldus martyrii corona insignitus, Ecclesiae ab ipso fundatae pignus pretiosissimum reliquit suum corpus, quod miraculis coruscans tot paulatim fideles attraxit, ut circum monasterium exstiterit urbs Mechliniensis. Neque vero monasterium, quod Normannis terram depopulantibus cecidit, denuo erectum est.

16. Bornhemiense (Bornhem). — Prioratus Monachorum. Anno 1101, a Wincmaro Castellano Gandavensi, Conventus Canonicorum regularium S. Augustini constitutus est, sed disciplina brevi collabente, iam anno 1120 Burchardus Episcopus Cameracensis et Sigfridus ipsius coenobii Abbas a S. Fulgentio Abbate Affligeniensi precibus obtinuerunt ut religiosos, recepta S. Benedicti Regula, in eius iurisdictionem susciperet. Callistus II. Summus Pontifex factam commutationem approbavit.

III. In Provincia Flandriae Orientalis.

17. Gandense. (S. Bavon de Gand) S. Bavonis. — Abb. Monachorum. Anno D. 631 a S. Amando Epo. et monacho exstructum atque S. Petro dedicatum est hoc coenobium. Cuius monachi, quos clarus ille Belgii Apostolus fidei, noviter in his ethnicis regionibus praedicatae, custodes propagatoresque constituit, primi in Belgio S. P. Benedicti Regulam ab exordio observasse, apertis traduntur verbis. Anno 647 Alwinus, qui et Bavo, nobilis vir Hasbaniensis, quem S. Amandus converterat, in illud monasterium convolvit, sub Floriberto

primo eius Abbate, ibique, cum per triennium ereticam summae austeritatis vitam duxisset, pie in Domino obdormivit; patronus postea monasterii electus est. Post Normannorum incursiones S. Gerardus Abbas Broniensis in illud monasterium disciplinam reduxit. Anno vero 1537 auctoritate Pauli III. Summi Pontificis monachis in saecularem statum restitutis, aedes a Carolo V. Imperatore in arcem munitionesque urbis conversae sunt.

18. Gandense sive Blandiniense (Mont-Blandin de Gand) S. Petri. — Abb. Monachorum. Eodem 631 anno, S. Amandus, everso luco, extruxit in Monte Blandinio alterum monasterium, primo extra, postea vero intra moenia civitatis Gandavensis situm. Quod coenobium S. Petro dedicatum Normanni devastaverunt, a S. Gerardo autem, quem supra laudavimus, restauratum, floruit usque ad eversionem rei monasticae in Belgio saeculo elapso.

19. Trunciense (Tronchiennes) B. Mariae V. — Abb. Monachorum. Anno 633 basilicam S. Mariae Virginis aedificavit S. Amandus necnon coenobium monachorum. Domum a Normannis subversam anno 884 denuo suscitavit Balduinus comes et canonicis tradidit, qui anno 1131 Eugenii III. S. P. auctoritate, Praemonstratensibus loco cesserunt. Nunc ibi Novitiatus Patrum Societatis Iesu habetur.

20. Meerbecense (Meerbeek). — Abb. Monachorum. Hoc monasterium, cuius rarissime fit mentio, anno 679 conditum ab Odehardo comite, Normannorum incursionibus non erat superstes.

21. Rotnacense (Renaix). SS. Petri et Pauli. — Abb. Monachorum. Coenobium a S. Amando saeculo VII. in honorem SS. Ap. Petri et Pauli conditum, Ludovicus Pius Imp. monasterio Edensi prope Aquisgranum univit. In idem Endense monasterium, cui postea est nomen S. Cornelii inditum, Normannorum tempore, S. Hermetis Martyris corpus ex Rotnacensi antiquo quietorio translatum est. Anno 1280 Endenses iura sua in Rotnacense monasterium Guidoni Flandriae comiti pretio vendiderunt.

22. Ticliviniense (Dickelvenne) S. Petri — Abb. Monachorum. Anno 734, S. Hilduardus Eps. Tullensis, qui Romam profectus ibi a S. Petro in visione admonitus fuerat, in loco, cui nomen Ticlivinio, hoc monasterium condidit in quod ipse relicta sede episcopali se recepit. Anno 846 monachi ob Normannorum crudelitatem Teneramundam confugientes corpus S. Hilduardi secum transtulerunt quod ad nostros usque dies ibi pie colitur.

23. Moorselense (Morsele) S. Gudilae. — Monast. Virg. Saeculo VIII. Carolus Imp. Magnus eo loco, ubi Gudila sancta sua consanguinea orare consueverat, hoc monasterium extruxit; et sacrum

illius corpus depositum in loco Ham levavit et monialibus Moorselenibus tradidit religiose custodiendum. Eversum est coenobium Normanorum aetate; sacras vero Gudilae reliquias posterioribus temporibus Carolus Brabantiae dux Bruxellam transtulit.

24. *Einhamense* (Einham) B. M. V. — Abb. Monachorum. Ineunte saeculo IX. Godfridus comes ibi infra castellum suum coenobium canonicis tradendum fundaverat. Id Balduinus Pius comes Flandriae, cum bellis destructum esset, anno 1063 restauravit et monachis Benedictinis S. Vedasti concessit. Gallica perturbatione extinctum est.

25. *Papingloense* (Papingloo) S. Martini. — Praepositura Monachorum. Incerta sunt initia huius domus, cui anno 1187 Rogerius Castellanus Gaudavensis donationes magnas fecisse traditur. Subiecta erat Gandavensi S. Bavonis Abbatiae, donec anno 1559 eius bona ad sedem episcopalem erigendam consumpta sunt.

26. *Peteghemense* (Peteghem) S. Martini. — Praepositura Monachorum. A. D. 1084. Raimundus archiepiscopus Remensis in locum clericorum substituit monachos ex Abbatia S. Theodorici Remensi adductos, qui anno 1335 domum monialibus S. Clarae vendiderunt.

27. *Gerardimontense* (Grammont) S. Adriani. — Abb. Monachorum. Anno Domini 1095 Manasses Episcopus Cameracensis eodem quo S. Hilduardi fuerat monasterium loco, qui vulgò Dickelvenne dicitur, hoc novum fundavit monasterium; sed anno sequenti 1096 Gerardimontem translatum est precantibus id Roberto Hierosolymitano, comite Flandriae et Hincboldo eiusdem loci capellano. Celeberrimum erat monasterium propter sacrum corpus S. Adriani Martyris Nicomediensis quod ibi depositum magno populi concursu colebatur. Interiit extremo saeculo elapso.

28. *Gerardimontense* (Grammont). — Monast. Virginum (vulgò Hunneghem). A. D. 1624 erectum a quibusdam virginibus ex ea, quae tunc Duaci facta est, ordinis restauratione. A. 1797, religiosae omnes dispersae fuerunt; A. 1816 duae antiquae Abbatiae Ghislenge-miensis nobiles professae domum redimere ibique cum redeuntibus ex exilio Grandimontensibus vitam religiosam restituerunt quae ibi adhuc floret.

29. *Teneramundense* (Termonde) S. Petri et Pauli. — Prioratus Monachorum. Anno Domini 1838 R. P. D. Veremundus D'Haens, monachus antiquae Abbatiae Affligeniensis, ibi alios, qui eiusdem Abbatiae erant superstites, monachos congregavit in coenobio quod olim PP. Capucinatorum erat. Iste prioratus necnon novum Affligeniense ab illo fundatum monasterium sunt hodie Congregationis Sublacensis.

IV. In Provincia Flandriae Occidentalis.

30. Thorhaltense (Thourout) S. Michaelis. — Abb. Monachorum. Initio saeculi septimi S. Amandus hoc monasterium fundavit; Dagobertus rex dotavit. In eo Sanctus Anscharius Eps. Hammaburgensis eiusque simul discipulus S. Rembertus, postea Eps. Bremensis, aliquamdiu vitam degebant, in eoque S. Donatiani Antistitis reliquias, quae Brugis coluntur, fuisse primo depositas historiae tradunt. A Normannis vastatum ita evanuit, ut nunc ne locus quidem ubi steterit sit notus.

31. Brugense (Eechoute) S. Bartholomaei. — Abb. Monachorum. Circa annum Domini 650, S. Trudo, Hasbaniae Apostolus, in agro Brugensi, ubi plurima possidebat bona, istud praeclarum monasterium extruxit, in quo iam tempore Sancti Eligii octoginta simul monachi, fulgente sua sanctitate, hoc coenobium illustrarunt et celebrarunt. Postquam Dani et Normanni illud everserunt, duo coenobia abbatialia ibi exstiterunt Ordinis Canonicorum S. Augustini, nempe Eechoutense virorum et Trudonense Virginum.

32. Messinense (Messines). — Abb. Virginum. A. D. 1065 Adela uxor Balduini Pii, Comitis Flandriae, hoc monasterium fundavit. Balduino e vivis sublato 1067, devota vidua Romae, quo limina Apostolorum veneratura perrexerat, e manibus Alexandri II. P. M. religiosum habitum suscepit et post reditum humillime in monasterio suo Messinensi vixit sub Friseldi prima eius Abbatisa. Interiit tempore perturbationis gallicae.

33. Aldenburgense (Oudenburg). Ss. Petri et Pauli. — Abbatia Monachorum. Ineunte saeculo VIII. primam hic ecclesiam in honorem S. Petri aedificavit S. Ursmarus Eps. et Abbas Laubiensis. Quae cum temporum bellorumque iniuria collapsa, anno autem 1056 restituta esset, Conon Roberti Flandriae Ducis cubicularius morem gerens uxori suae Haseceae, quae templum tot miraculis insignitum amplius retinere verebatur, eam S. Arnulpho Episcopo Suessionum tradidit. Arnulphus mox 1084 domum Dei addixit monachis S. Benedicti, quibus ipse praefuit usque ad sanctam mortem an. 1087. Eius nepos Arnulphus primus Abbas huius monasterii factus est. Eiusdem alumnus erat Arnoldus Wion Duacensis, scriptor clarus.

34. Ghistellense (Ghistelles) S. Godelevae. — Abb. Virginum. A. D. 1088, apud Ghistellam Balbo Eps. Novionensis et Tornacensis corpus S. Godelevae elevavit, quae anno 1070, auctore Bertulfo eius marito, martyr occubuerat. Bertulfi vero ex secunda uxore filia, a natiuitate caeca, subito illuminata est postquam oculos lavit aqua in qua fuerat Dei famula Godeleva submersa. Quare in signum grati animi

ibi coenobium virginum construxit sub regula S. Benedicti militantium, ad honorem Dei et S. Godelevae. Saeculo XVI. Moniales Ghistellenses, a Calvinistis expulsae, Brugas aufugerunt, ubi multas perpersae tribulationes et aerumnas hodie quoque existunt. Anno 1623, missis a Duaco monialibus, huic congregationi nomen dederunt, eiusque Constitutiones ab eo tempore semper observaverunt.

35. Brugense (S. André-lez-Bruges) S. Andreae. — Abb. Monachorum. A. D. 1098 Robertus Hierosolymitanus, quum apud Antiochiam in visione S. Andreae Apostolum conspexisset, qui sacram detegendam Lanceam indicaverat, pro victoria exinde secuta gratias acturus statuit monasterium fundare in honorem S. Andreae prope Brugas. Clementia eius uxor, litteris certior facta, illico coepit aedificare coenobium in loco Bethferkerke. Id anno 1100 comes redux Fulgentio Abbati Affligeniensi tradidit. Anno vero 1185 monachi monasterii S. Andreae separati ab Affligeniensibus proprium sibi elegerunt Abbatem Hugonem. Stetit usque ad perturbationum tempora civilium.

36. Merckemense (Merckem). — Abb. Virginum. A. D. 1099 hoc coenobium a Clementia Flandriae comitissa conditum est, assentiente Ioanne Episcopo Morinensium, monacho Montis S. Elegii piissimo. Saeculo XVI. ab Iconoclastis cum dirutum esset, eius bona, pontificia ac regia auctoritate, collegio P. P. Soc. Iesu Iprensi addicta sunt.

37. Boscense (Nonnenbossche) B. M. V. — Abb. Virginum. A. D. 1101 dominante Roberto comite, Ecclesiam B. M. V. de Bosco consecravit Ioannes Eps. Morinensium. Prioratus monialium ad eam ecclesiam positus, cum a Flandriae comitibus ladorgis norum augetur donationibus, an. 1198 in Abbatiam erectus est, cuius prima Abbatissa fuit Eva quaedam. Saeculo XVI., Flandria bellis perturbata, moniales sibi tutiorem quaerentes sedem, Ipras venerunt, ubi usque ad suppressionem, anno 1793, commorabantur.

38. Cokelarense (Cokelaere). — Praepositura Monachorum. A. D. 1106 haec ecclesia a Balderico Epo. Tornacensi monachis Abbatiae S. Bertini data est, cuius pluribus saeculis erat praepositura. Saeculo XVI. aedificia eversa sunt.

39. Poperingense (Poperinghe). — Praepositura Monachorum. Arnulfus comes Flandriae villam de Poperinghem Abbatiae S. Bertini dono dedit, cuius deinde Praepositura erat. An. 1190 Philippus ab Alsatia, Comes Flandriae, illam donationem confirmavit auxitque.

40. Bredenense (Breedene). S. Richarii. — Prioratus Monachorum. Hoc monasterium, quod ab Abbatia S. Richarii (S. Riquiers) in dioecesi Ambianensi dependebat, multum ante 1200 exstabat, quo

anno Eps. Tornacensis conqueritur illud a monachis esse derelictum. Tumultibus Belgicis saeculi XVI. interit.

41. *Cortracense* (Courtrai N. D. de la Chapelle). B. M. V. — Prioratus monachorum. Hoc coenobium subditum Abbatiae S. Amandi Elnonensi, iam ante annum 1125 stetit; eo namque anno Clementia comitissa Flandriae in illud beneficia contulit. Usque ad magnas Franciae perturbationes durasse videtur.

42. *Ipreense* (Ypres) S. Ioann. Bapt. — Abbatia Monach. Anno D. 1590, opem ferentibus Alberto et Isabella Belgarum principibus, in urbe Iprensi hoc coenobium fundatum est. Monachi e monasterio erant quod a Theodorico Galliae rege, ad necem S. Leodegarii Epi. expiendam, anno 686 in monte prope urbem Morinensium (Thérouanne) conditum erat. Quae urbs, quum anno 1553 una cum propinquo monasterio ab exercitu Caroli V. imperatoris deleta esset, religiosi primum Balliolas aufugerunt, anno vero supradicto, Romani Pontificis auctoritate, in urbe Iprensi sedes suas collocarunt.

43. *Ipreense* (Ypres). — Monasterium Virginum. Filia fuit celeberrimae abbatiae B. M. V. Gandensis erecta 22. Maii 1665, atque primum anglicis, dein hibernicis praesertim virginibus habitata. Imo, hortante Iacobo II. Angliae rege, ad breve tempus (1688—90) in urbe Dublinensi consederunt. Nunc perpaucae, eaeque aut anglicae aut belgicae stirpis, remanent.

44. *Poperingense* (Poperinghe). — Monasterium Virginum. Destructa, A. D. 1635 tempore belli, antiqua Abbatia de Fauquemberghe, undecim inde religiosae virgines ad hunc locum accesserunt ibique consederunt. A. 1680 aedes claustrales, A. 1714 scholae constructae fuerunt. Postquam A. 1797 omnes inde Virgines expulsae fuerunt, A. 1800 quaedam earum redierunt antiquasque aedes redimere coeperunt. Clausura regularis A. 1849 restituta est.

45. *Meninense* (Menin). — Monast. Virginum. Erectum 21. Octobris 1690 a quibusdam religiosis virginibus conventus Poperingensis. Tempore revolutionis gallicae ut destructionem evaderent huius domus incolae, mulierum mente captarum hospitale in ea erexerunt. Exstat hoc monasterium usque ad hodiernum diem.

V. In Provincia Hannoniae.

46. *Tornacense*. S. Martini (S. Martin de Tournai). — Abb. Monachorum. A. D. 631 hanc abbatiam S. Eligius Eps. Noviomensis et Tornacensis fundavit in honorem S. Martini Epi. Turonensis supra collem, ubi iste Domini confessor quondam oraverat. In cuius loci basilica unum ex duobus dentibus, quos ipse de S. Thaumaturgi maxilla detraxerat, deposuit publice venerandum, altero Ecclesiae Noviomensi

reservato. Cum anno 882 coenobium a Normannis destructum esset, illud anno 1092 restauravit egregius scriptor Odo monachus, antea canonicus et scholarium cathedralium praefectus, postmodum Eps. Cameracensis. Interiit monasterium versus finem saeculi praecedentis.

47. Lutosanense (Leuze) Ss. Petri et Pauli. — Abb. Monachorum. Ex plurimis, quae labente saeculo VII. fundavit S. Amandus Eps. Traiectensis, monasteriis unum illud est, cui nomen Lutosam imposuit. Quod quidem, quia ex antiquis temporibus Canonicorum fuit Abbatia, a multis dubitatur monasticane unquam disciplina ibi viguerit. In illa Ecclesia usque hodie colitur corpus S. Badilonis abbatis, qui saeculo VIII. tempore secundi fundatoris Gerardi Rossilionii ducis Burgundiae, floruit.

48. Cellense (S. Ghislain) Ss. Petri et Pauli. — Abb. Monach. Anno Domini 649. S. Autbertus eps. Cameracensis, una cum S. Amando, Ecclesiam in honorem Ss. Apostolorum Petri et Pauli consecrarunt in loco, cui nomen erat primum Ursigundus, postea Cella. Monasterium enim ibi fundaverat S. Ghislenus, natione Graecus, qui Romae commoratus, occiduas Galliarum partes ut expeteret coenobiumque ibi construeret, divinitus fuerat admonitus. Dirutum postea cum esset monasterium, idem S. Ghislenus ducem Lotharingiae Gislebertum, in somno ei apparens, circa 930, adhortatus est ut collapsam cellam per S. Gerardum abbatem Broniensem denuo excitari curaret. Floruit donec civiles procellae saevientes cuncta auferrent monasteria.

49. Sonegiense (Soignies) S. Vincentii. — Abb. Mon. Circa an. 650 huc se recipiens disciplinam monasticam inchoavit Madelgarius comes, nominatus postea Vincentius. Qui, cum tempore consecrationis Ecclesiae supradictae Cellensis a S. S. Eps. Autberto et Amando conversus esset, aliquamdiu in monasterio Altimontensi (Hautmont) ab ipso fundato vixit; verum non ita multo post secretiorem regionem sibi eligens Sonegiae monachus degit usque ad felicem mortem. Monasterium a Normannorum catervis destructum B. Bruno archiepiscopus Coloniensis a. 965 restauravit et, dimissis monachis, canonicos illuc induxit.

50. Laubiense (Lobbes). Ss. Petri et Pauli. — Abb. Monachorum. A. D. circiter 663 hic fundamenta vitae monasticae S. Lancelinus iecit. Is prius in ea regione latrocinatus erat, sed a S. Autberto Epō. Cameracensi ad meliorem frugem revocatus, ibi sanctissimam vitam per aliquod tempus duxit; dein Crispinium profectus est. A Pipino vocatus monasterii regimen S. Ursmarus Eps. suscepit, qui an. 697 basilicam in honorem SS. Apostolorum Petri et Pauli dedicavit atque in ea, nequis sepeliretur, statuit, altera ecclesia corporibus de-

functorum sepeliendis in montis vertice aedificata. S. Ursmaro anno 715 successit S. Erminus. Floruit coenobium, quod 954 orantibus in sanctuario monachis, divinitus ab Hungaris invadentibus defensum est, postea sine inruptione usque ad communem omnium coenobiorum interitum.

51. Alnense (Aulnes) St. Petri et Pauli. — Abb. Monach. Circa annum 653 S. Landelinus, postquam Laubium reliquit, hoc monasterium construxit. Cuius habitatores, deposita monachorum cuculla, iam priscis temporibus ad canonicorum vitam transierunt. Quos vix dum Albero Eps. anno 1145 reformaverat, quum S. Bernardus, Henrico Epo. Leodiensi consentiente, Cisterciensem ordinem ibi constituit et confirmavit.

52. Castrilocense (S. Waudru de Mons) S. Waldetrudis. — Abb. Virginum. An. D. 656 S. Waltrudis, regia orta prosapia, posteaquam S. Vincentius Maldegarius eius coniux monasticam amplexus est vitam, ipsa sese, a S. Autberto Epo. Cameracensi religiose velata, in monasterio quod fundaverat Castrilocensi Deo vovit. Ex monasterio mox collegium canonicarum regularium factum est.

53. Brocariense (S. Denis en Broqueraye). S. Dionysii. — Abb. Monachorum. A. D. 1076 monasterium et ecclesiam S. Dionysii condidit Richildis comitissa Hannoniae, pio ducta desiderio adiuvandi animas militum, qui 1072 pro patria contra Flandros pugnantes, ibi caesi erant. Subiecit illud coenobio Silvae maioris (Grande-Saulve), in Galliae partibus noviter erecto a monacho Gerardo, qui Bracarium et monachos misit et primum Abbatem instituit Martinum. Brocarienses duobus fere saeculis Silvae maiori subiecti, deinde exempti vigerunt ad finem usque saeculi superioris.

54. Andrense (Andernes), S. Salvatoris. Abb. Monach. — A. D. 1084, Balduinus comes Ghisnensis (Guines), qui a peregrinatione Compostellensi rediens ad monasterium Carrosense (Charroux en Poitou) diverterat ibique, aliquamdiu infirmatus, monachorum religionem et humanitatem expertus erat, complures illius coenobii religiosos secum deduxit, sc. Gilbertum, Everardum, Hentfridum et alios plantavitque eos, ut arboris frugiferae surculos, iuxta S. Salvatoris et S. Richtrudis ecclesiam, quam paulo ante in vico Andrensi construxerat. Mox alteram Ecclesiam coenobiumque fundavit, cum corpus S. Richtrudis ex monasterio Marcianensi (Marchiennes) miro modo translocatum esset, in capellam ecclesiae, quam supra nominavimus, adhaerentem. Prioris munere fungens Gilbertus novem annos praefuit, postea abbatiali dignitate decoratus est.

55. Abbeciense (Aubechies) Ss. Trinitatis. — Abb. Monachorum. De initio huius monasterii nihil certi habemus. Anno 1096 confirmatur ab Urbano II. Summo Pontifice. Anno vero 1118 a Burcardo Epo. Cameracensi unitur S. Gisleni in Hannonia Abbatiae.

56. Fraxinense (Frasnes), B. M. V. — Prioratus Monachorum. A. D. 1099 Eremburga, pia matrona, collabentem Fraxinensem Ecclesiam, quam inopia pulsi canonici dereliquerant, denuo dotavit et Abbatiae Affligeniensi annexuit; cuius Abbas Fulgentius monachos illuc misit sub priore constitutos. Prima fuit Affligensium fundatio, quae semper a prioribus gubernabatur.

57. Gislengemiense (Ghislenghien). — Abb. Virginum. A. D. 1126 istud monasterium aedificare coeperunt Ida mater Nicolai Epi. Cameracensis et altera Ida uxor Guidonis Domini Cerviensis (Chierve). Primae moniales evocatae sunt ex coenobio Strumensi (Estrun), Diocesis Atrebatensis; postea Ida Cerviensis et ipsa assumpsit habitum multasque virgines nobiles attraxit ad vitam religiosam.

58. Montense (Mons Paix Notre Dame) B. M. V. de Pace. — Prioratus Virginum. A. D. 1640 istud coenobium a monasterio Leodiensi B. M. V. de Pace, Congregationis Duacensis, conditum est; interit Gallofrancis impie bellantibus.

VI. In Provincia Namurcensi.

59. Fossense (Fosses) S. Foillani. — Abb. Monachorum. A. D. 652 a S. Gertrude Nivalensi conditum est monasterium, monachis tradendum e Scotia venientibus, Ss. Ultano et Foillano fratribus. Primus Abbas fuit S. Ultanus. Foillanus vero in silva Sonegiensi martyrii palmam obtinuit, cuius reliquiae usque modo coluntur in Ecclesia Fossensi. In locum monasterii, a Normannis vastati, postea collegium successit Canonicorum.

60. Hasteriense (Hastières) S. Petri. — Abb. Virginum, postea Prioratus Monachorum. Anno 656 Epo. Mettensi locum tradidit Vedericus comes, cuius ille filiam Helmetrudem abbatissam primam instituit. Anno 969 monachi, ab Epo. Mettensi in cella collocati, Abbatibus subduntur Walciodorensibus, qui utrique deinceps conventui praeerant usque ad finem saeculi XVIII.

61. Cellense (Celles). — Abb. Monachorum. Anno 660 constructum a S. Hadelino, S. Remacli Epi. Traiectensis discipulo, auctum munificentia Pipini Heristalensis, monasterium posterioribus temporibus a Normannis devastatum est. Postea religiosi, monastica abiecta disciplina, canonicorum amplexi institutum, Visetum migrarunt, S. Hadelini corpus secum ferentes.

62. Monasteriense (Moustier) S. Petri. — Abb. Virginum. Anno 661 a S. Amando exstructa est monialium domus, in qua 772

pie obiit S. Amelberga. Anno 1282 ex concessione Henrici Epi. Leodiensis transmutatum est in collegium nobilium canonicarum; floruit usque ad finem saeculi XVIII.

63. Andanense (Andenne). — Abb. Virginum. Anno 696 S. Begga, Ansegisili vidua, mater Pipini Heristalensis, hoc monasterium iamiam senex fundavit eoque Monasterii Nivalensis disciplinam una cum monialibus deduxit, sorore S. Gertrude Nivalensi triginta tribus annis ante defuncta. Secundo post foundationem anno S. Begga animam beatam efflavit. Andana, ubi sanctae Fundatricis memoria colitur, etiam saecularisata est.

64. Maloniense (Malonne) B. M. V. — Abbatia monachorum. Sub fine saeculi VII. S. Bertuinus ex Hibernia, monachus et eps., opibus adiutus Pipini Heristalensis hoc B. M. monasterium ad Sabim fluvium excitavit atque ibidem circa annum 698 sancta morte obiit. Ab anno 1147 illud inhabitabant Canonici regulares S. Augustini.

65. Gemblacense (Gembloux). S. Petri et S. Exuperii. — Abb. Monachorum. Anno Domini 923, celebre hoc monasterium, quum universa illius regionis coenobia a Normannis devastata iacerent, S. Guibertus vir nobilitate et religione conspicuus impensis omnibus, quae sibi erant, facultatibus aedificavit. Primo Abbate novae familiae constituto Erluino, ipse Guibertus in conventu Gorziae prope Metas monasticum assumpsit habitum. Ibi cum 23. Maii 952, e vivis decessisset, sacrum eius corpus Gemblacum reportatum miraculis claruit. Quod ut levaretur e terra 1110 die 23. Sept. Sigebertus Gemblacensis monachus historicus imprimis procuravit. Anno 1503, Bursfeldensi aggregatum Congregationi, Monasterium Gemblacense, cuius Abbas inter Brabantiae nobiles locum obtinuit haud mediocrem, floruit usque ad finem saeculi XVIII.

66. Bronniense (Brogne, S. Gérard) S. Petri et S. Eugenii. — Abbatia Monachorum. Anno Domini 928 hoc coenobium S. Gerardus fundavit. Qui genere et pietate praecellens, cum Bronii in oratorio per Pipinum Heristalensem aedificato et per Lambertum Epm. dedicato preces funderet, a S. Petro admonitus est, ut ex illa aedicula basilicam conderet in honorem S. Eugenii Martyris. Anno 913 Ecclesia coepta est aedificari, in quam collegium canonicorum inducit, dum ipse Gerardus, relicta saeculi vanitate aulaque comitis Namurcensis, Parisios profectus in monasterio S. Dionysii vitam religiosam profiteretur. Annis decem cum peculiari virtutum studio istic exactis, Gerardus, corpore S. Eugenii ditatus, revertitur Bronium una cum duodecim monachis, quos clericis amotis substituit et abbatiali dignitate auctus, gubernavit. Collapsam his locis Normannorum incursionibus religionem mo-

nasticam mirum in modum piissimus Abbas restituit; 18 monasteriis vel erectis vel restauratis, Bronii obdormivit in Domino anno 958, et elevatus est e terra 1131. Bronii asservabatur insignis S. Crucis D. N. I. Ch. pars, quae a Mannasse Dno. de Hirgia (Hierges) ab Antiochia allata et Broniensibus legata fuit; hodie vero exstat illa in thesauro Ecclesiae cathedralis Namurcensis. Sub cura Abbatum floruit monasterium usque ad annum 1565, quo tempore abbatialis ut vocant mensa fundando Namurcensi episcopatu insumpta est; quare sub Prioribus erat usque ad finem saeculi praeteriti.

67. Walciodorensē (Waulsor, Vassor). B. M. V. — Abb. Monachorum. Anno Domini 944 comes Eilbertus eo in loco, ubi castellum habebat, monasterium condidit, in quod monasticae institutores disciplinae vocavit monachos, vitae merito praeclaros, e Gorziensi coenobio, Maccalenum, qui primus Walciodori Abbas fuit, et Cadroë e Floriacensi, illius in regimine successorem. Comes vero Eilbertus rei familiaris monasticae, quam ipse donaverat, provide curam gessit et Ecclesiam sacro pignore decoravit, corpus comparans S. Eloquii monachi Scoti, qui saeculo VII., cum Ss. Furseo, Foillano et aliis in Galliam profectus, sancte decesserat eremita in dioecesi Noviomensi. Translatum est die 3. Dec. 960, S. Forannano Abbate et Epo.

68. Floriense (Florennes) S. Ioannis Baptistae. — Abb. Monachorum. Anno Domini 1012 conditum est hoc monasterium a Gerardo I. Epo. Cameracensi, filio Arnulphi Domini Florinensis. Qui dum anceps animi esset, cuinam ex sanctis monasterium dedicaret, viro cuidam pio Dioeceseos Leodiensis apparuit S. Ioannes Baptista conquestus, quod in sui honorem nemo coenobium curaret erigendum. Quod ut rescivit Gerardus, monasterio a se aedificato S. Ioannis Baptistae nomen imposuit digitumque S. Praecursoris tradidit necnon corpus S. Mauri Martyris, ab Ecclesia Remensi dono accepta. Floruit donec communi fortunae succubuit fine saeculi XVIII.

69. Namecense (Namesche). — Prioratus Monach. Anno D. 1152 Summus Pontifex Hadrianus IV. hanc domum, quam usque in id tempus inhabitaverant canonici, erexit in Prioratum Cluniaco subiectum; anno autem 1560, cum eius bona ad mensam novae sedis episcopalis Namurcensis constituendam converterentur, a Paulo IV. suppressum est.

70. Namurcense (Namur) B. M. V. de Pace. — Monasterium hoc Monialium B. M. de Pace Congregationis Duacensis a familia ipsa anno 1615 fundatum perstitit usque ad perturbationem Galliae; nunc collegium est Patrum S. I.

71. Marezolense (Maredsous) S. P. Benedicti. — Abbatia Monachorum. A. D. 1872 incoeptum pro monachis Congregationis Beuronensis ab eximiis fundatoribus Henrico et Iulio Desclée Tornacensibus. Anno 1878 ad abbatialem dignitatem evehitur, decreto Apostolico SS. Dni. Leonis PP. XIII., abbate primo Revmo. Dno. Placido Wolter.

VII. In Provincia Leodiensi.

72. Malmundariense (Malmedy) Ss. Petri et Pauli et Martini; et Stabulense (Stavelot), item Ss. Petri et Pauli et Martini. — Abbatiae Monachorum. Ista duo monasteria intime sunt et origine et casibus coniuncta eundemque semper unumque habuerunt Abbatem. S. Remaclo suadente pius Austrasiae rex S. Sigisbertus, quia in Aduenna nondum extabant coenobia, anno 648 Malmundarium, anno 651 Stabuletum condidit, quorum Abbas S. Remaculus, quamvis Eps. constitutus Sedis Traiectensis, et ipse permansit et unus semper idemque eis ut esset ordinavit. Dirutum utrumque monasterium anno 881 a Normannis, restauratum est a Poppone Abbate Stabulensi anno 1040 perque octo saecula floruit.

73. Leodiense (S. Lambert de Liège) S. Lamberti. — Abb. Monachorum. Anno D. 700 fundatum est hoc coenobium a S. Huberto Epo. Leodiensi in loco martyrii S. Lamberti praedecessoris sui; anno vero 817, Vulcando Epo., cum monachi transirent ad monasterium Andainense, secum S. Huberti corpus portantes, ecclesia S. Lamberti facta est Cathedralis.

74. Leodiense (S. Laurent de Liège) S. Laurentii. — Abbatia Monachorum. A. D. 971 hoc monasterium ab Eucherio Epo. coeptum est aedificari; sed eius mors cum intervenisset operi perficiendo, S. Walbodo Eps. iamiam moriturus a S. Laurentio in visione admonetur, ut ex bonis suis relictis absolvi iuberet monasterium, quod Popponi Abbati Stabulensi commendavit. Huius coenobii quondam monachus fuit clarissimus Rupertus Tuitzensis, quem anno 1096 ipsa beatissima Virgo Maria, Sedes Sapientiae, erudit. Floruit usque ad perturbationem Gallicam.

75. Leodiense (S. Jacques de Liège) S. Iacobi. — Abb. Monachorum. A. D. 1014 Baldericus Eps. hoc monasterium sub honore S. Iacobi minoris aedificare coepit et dotavit ad animas militum suorum, qui contra ducem Brabantiae pugnantes ceciderant, redimendas. Imperfectum opus quum S. Wolbodo, quem supra nominavimus, Eps. confecisset, regimen monasterii commisit celeberrimo Abbati Gemblacensi Olberto, qui utrique familiae triginta annos praefuit usque ad obitum suum anno 1043. Iste Olbertus, monachus Laubiensis, Heri-

geri discipulus et magister Burchardi postea Eps. Wormatiensis, eruditione et doctrina erat excellens. Abbatia interiit anno 1773.

76. S. Severini (S. Severin) — Prioratus monachorum. A. D. 1091 a Gisleberto comite Claromontensi haec cella fundata et tradita est Abbatiae Cluniacensi. Anno 1582 in manus transiit patrum Soc. Jes.

77. Bertreyense (Bertreye). B. M. V. — Prioratus monachorum. A. D. 1124 domus ista a Waltero comite de Trudignies erecta est et Cluniacensibus commissa; anno 1560 auctoritate apostolica exstinguitur eiusque bona contribuuntur mensae episcopali Namurcensi constituendae.

78. Hoiense (Huy) S. Victoris. — Abb. Virginum. A. D. 1130 hoc coenobium ab Ermensinda comitissa de Muhault fundatum est; quod anno 1658, cum fuisset antea Prioratus Congregationis Cluniacensis, erigitur in Abbatiam.

79. Meffiense (Meffe) S. Severi. — Prioratus monachorum. A. D. 1149 Ecclesia S. Severi in Meffia sita, usque ad id temporis collegiata, ab Henrico de Leyen Epo. Leodiensi traditur Abbatiae S. Laurentii Leodiensi, cuius deinceps erat Prioratus.

80. Leodiense (Liège, Paix Notre-Dame) B. M. V. de Pace. — Abb. Virginum. Anno D. 1627, die 18. Ianuarii a monasterio Namurcensi B. M. V. de Pace, Congregationis Douacensis, hoc monasterium fundatum usque ad hodiernam diem viget, ne in perturbatione quidem civili derelictum. Temporum iniuria compulsae moniales anno 1797, deposito habitu, puellis educandis instituendisque scholam aperuerunt; anno vero 1820, cum ex decreto Gubernii Provinciarum unitarum iuste et legitime viverent, habitum iterum assumpserunt et domo restituta renovataque, 1840 clausuram regularem retulerunt et revocaverunt. Tandem anno 1860 abbatiali denuo dignitate decoratum monasterium primam recepit Abbatissam D. Gregorinam Lechanteur, a RRmis. et Illustmis. DD. Arch. Tyrensi et Ep. Leodiensi solenniter benedictam.

VIII. In Provincia Limburgensi.

81. Sarchiniense (S. Trond) S. Trudonis (prim. S. Quintini et Remigii). — Abb. Monachorum. A. D. 661 hoc monasterium constructum est a S. Trudone. Is nobili loco natus, adhuc puer Sarchinio relicto Chlodulphum Epm. Mettensem adiit et ut ipsum sacris litteris imbueret rogavit, cui (seu ut dicam S. Stephano) bona sua omnia donavit. Postea presbyter factus et Sarchinium redux, in possessione olim sua basilicam in honorem Ss. Quintini et Remigii fundavit et monasterium, cui praefuit. Verisimile est, ab initio non clericos, sed monachos sub regula S. P. Benedicti obtinuisse locum, Monasterium a Normannis destructum denuo anno 945 aedificatur et multa saecula floruit.

82. Belisiense (Münsterbilsen) B. M. V. — Abbatia Virginum. A. D. 669, hortante et adiuvente Sancto Lamberto Episcopo Traiectensi, a Sancta Landrada virgine nobili hoc coenobium conditum est. Quae ibi eremiticam primum ducens vitam, cum mira visione admoneretur in eo loco, ubi crux, quam e coelo viderat delapsam, in petra impressionem reliquerat, ecclesiam et monasterium coepit aedificare, quae S. Lambertus dedicavit. Venerabilis virginis corpus ab Angelis in pagum Wintershoven portatum una cum aliis sacris pignoribus anno 980 in Gandavense S. Bavonis monasterium translatum est. Post Normanorum tempora Belisia fuit collegium canonicarum.

83. Eickense (Alden Eyck) S. Harlindis. — Abb. Virginum. A. D. 736 ista Abbatia a ss. virginibus Harlinde eiusque sorore Relinde condita est. Quae adhuc infantes a piis parentibus coenobio virginum Valentianensi ad Scaldim sito traditae, cum postea ad sua rediissent, in fundo paterno de Eick, pio patre Adelardo adiuvente, monasterium aedificaverunt et in munere abbatiali sibi succedentes gubernaverunt. Frequenter ad eas Ss. Epi. Willibrordus et Bonifacius Germaniae Apostolus ventitabant sacrisque suis verbis perfectionis in eis studium desideriumque accendebant. Posterioribus temporibus in eo vixit canonicorum, collegium, qui anno 1571, ut in tuto essent, in urbem Maseick se receperunt.

84. Donkense (Donck), B. M. V. — Prioratus Monach. A. D. 746 villa Donck a Roberto comite Hasbaniae data est Abbati S. Trudonis, qui ex ea, fecit Prioratum, Monasterio S. Trudonis subiectum.

85. Mileniense (Milen) S. Catharinae. — Ex Prioratu, Abb. Virginum. Incerto anno fundatum prope Trudonopolin exstabat Monasterium, in quo 1194 sacrum accepit velamen beata Virgo Ludgardis; quae, cum ibi aliquot annos fulgens miraculis degisset, anno 1206 Dei iussu in monasterium Aquiriense (Aywières) O. Cist. se contulit. S. Christina quoque illud illustravit monasterium. Huius vero post mortem moniales, priore relicto loco, (1219) in Milen migrarunt, ubi Arnoldus comes Lossensis et Gobertus de Orbais novum illis fundaverant monasterium, quod 1565 dignitate abbatiali auctum est.

86. Tungrense (Tongres, Paix S. Ioseph). S. Iosephi. — Prioratus Virginum. A. D. 1863 fundata est haec domus a Monasterio Leodiensi B. M. de Pace, Congregationis Duacensis.

IX. In Provincia Luxemburgensi.

87. Casaecongidunense (Cuignon). — Abbatia Monach. Anno D. 648, S. Sigisbertus Austrasiae rex hoc monasterium, ex illis duodecim quae fundavit iste sanctus, primum condidit, et Remaclum monachum Solemniacensem, ut novo praeesset coetui, accersivit. Postea

evasit S. Remaclus Ep. Traiectensis. Monasterium, cum destructum a Normannis restauratum esset, Abbatiae Orvalensis O. Cist. fit Prioratus.

88. Andainense (S. Hubert) S. Huberti. — Abb. Monachorum. Anno 706 S. Beregis monachus Sarchinensis, S. Trudonis discipulus in isto loco, quem a Pipino Maiore impetraverat, monasterium erexit; quae Ecclesia propter corpus S. Huberti Epsi. Leodiensis, anno 817 illuc a Vulcando epo. translatum, usque ad nostra tempora quam maxime celebratur. Venerabili corpori custodes desunt monachi a fine saeculi praeteriti.

89. Bulionense (Bouillon) S. Petri. — Prioratus Monachorum. A. D. 1040 Godefridus Bonus, Lotharingiae Dux, Ecclesiam Bulionensem, quae ante id tempus erat collegiata, Abbatiae S. Huberti tradidit cui deinceps suberat prioratus.

90. Chiniacense (Chiny) S. Walburgis. — Prioratus Monachorum. A. D. 1097 iste Prioratus ab Arnulpho comite Chiniacensi fundatus et Abbati S. Arnulphi Mettensi subiectus est. Initio saeculi XVI., cum suppressus esset, anno 1594 eius bona Patribus S. Ies. Luxemburgensibus apostolica auctoritate sunt concessa.

NB. — Opera ex quibus, praeter Archivia publica, desumpsimus praecipue quae supra breviter enarravimus, haec sunt: Mabillonii, Annales O. S. B.; Miraeus, Opera diplomatica; Sanderus, Flandria illustrata, et Chorographia sacra Brabantiae; Ghesquière, Acta Sanctorum Belgii; Gramaye, Antiq. Belgic.; Fisen, Sancta Legia; Malbrancq, De Morinis; Morlanus, Natales Sanctor. Belgii; Castillion, sacrae Belgii Chronologia, etc. etc.

Abt Benedict von Wiblingen. 1598—1663.

Aus dem Manuscripte eines Klosterbruders, zusammengestellt vom Pfarrer Alois Frisch ¹⁾.

I. Benedicts Jugendgeschichte von 1598—1628.

Benedict Rauh ist geboren den 27. November 1598 zu Leukirch, woselbst sein Vater ein kunstreicher Uhrmacher, vermöglicher Mann und Rathsherr war. Dieser kam im Jahre 1610 nach Wiblingen, um in die Kirche und Klosterpforten Uhren zu verfertigen und aufzustellen. Einmal sass er mit Abt Gottfried selig bei der Tafel, da sagte er unter andern Gesprächen: er habe einen jungen Knaben, der ihn stets bitte, ihn mit nach Wiblingen zu nehmen, er habe Lust in ein Kloster zu gehen, allein er sei zu seinem Alter noch zu klein, es sei „ein schlecht Gewächs bei ihm.“ Der Abt ermunterte ihn, diesen Knaben mit sich zu bringen; man werde dann schon sehen was zu machen sei. So kam Benedict in's Gotteshaus. Zuerst wurde er

¹⁾ H. P. Bern. K. in B. für die Zusendung dieses Artikels nochmals besten Dank — Die Originalität des Styl's und der Schreibweise wurde möglichst genau beibehalten. (D R.)